BIBLIA LATINA, BD. 1

Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Dimitte populum meum ut sacrifi-
cet michi. Quod si adhuc renuis
et retines eos. ecce manus mea
erit super agros tuos et super equos et
asinos et camelos et oves et boves.
pestis valde gravis. Et faciet do-
minus mirabile inter possessiones
israel et possessiones egyptiorum. ut
nichil omnino intereat ex eis que
pertinent ad filios israel. Constituit
que dominus tempus dicens. Cras
faciet dominus verbum istud in terra.
Fecit ergo dominus verbum hoc altera
die. Mortua que sunt omnia ani-
mantia egyptiorum. De animali-
bus vero egyptiorum israel nichil om-
nino periit. Et misit pharao ad vi-
dendum. nec erat quidquam mortu-
um de hiis que possidebat israel. In-
gravatum que est cor pharaonis et non
dimisit populum. Et dixit dominus
ad moysen et aaron. Tollite ple-
nas manus cineris de camino.
et spargat illum moyses in celum
coram pharaone. sit que pulvis super
omnem terram egypti. Erunt
enim in hominibus et in iumentis ul-
cera et vesice turgentes in univer-
sa terra egypti. Tulerunt que cinerem
de camino. et steterunt coram pha-
raone. et sparsit illum moyses in ce-
lum. facta que sunt vulnera vesi-
carum turgentia in hominibus et in
iumentis. nec poterant malefici sta-
re coram moyse propter vulnera que in
ipsis erant. et in omni terra egypti.
Induravit que dominus cor phara-
onis. et non audivit eos. sicut locu-
tus est dominus moysi. Dixit que
dominus ad moysen. Mane con-
surge et sta coram pharaone et dices
ad eum. Hec dicit dominus. Dimit-
te populum meum ut sacrificet michi.
quia in hac vice mittam omnes
plagas meas super cor tuum et super
servos tuos et super populum tuum. ut sci-
as quod non sit similis mei in omni
terra. Nunc enim extendens manum
percuciam te et populum tuum peste. peri-
bis que de terra. Ideo enim autem posui te. ut os-
tendam in te fortitudinem meam
et narretur nomen meum in omni
terra. Adhuc retines populum meum
et non vis eum dimittere. En pluam
hac ipsa hora cras grandinem mul-
tam nimis qualis non fuit in egyp-
to. a die qua fundata est. usque in
presens tempus. Mitte ergo iam
et nunc et congrega. Iumenta tua
et omnia que habes in agro. homi-
nes enim et iumenta et universa que in-
venta fuerint foris. nec congregata
de agris. ceciderit que super ea grando
morientur. Qui timuit verbum do-
mini de servis pharaonis fecit con-
fugere servos suos et iumenta in ma-
gis. ~~Et dixit dominus~~ et boves
in domos. Qui autem neglexerat ser-
monem domini. dimiserat servos
suos et iumenta in agris. Et dixit
dominus ad moysen. Extende
manum tuam in celum. ut fiat gran-
do in universa terra egypti. super homi-
nes et iumenta. et super omnem her-
bam agri. in terra egypti. Extendit-
que moyses virgam in celum et do-
minus dedit tonitrua. et grandi-
nes. ac discurrentia fulgura super
terram. Pluit que dominus grandi-
nem super omnem terram egypti. et